

*iuxta Velitras permodicus et cellae penurariae instar, tenetque vicinitatem opinio tamquam et natus ibi sit;* Dio 45, 4. Praeterea non invenitur nisi nudum nomen oppidi relatum apud chorographos (Strabo 5, 3, 10 p. 237; Plinius 3, 5, 64; Stephanus Byz. s. v. Βελίτρα). Index coloniarum p. 238 quae ponit: *Vellitras oppidum lege Sempronia fuerat deductum: postea Claudius Caesar agrum eius limitibus Augusteis censitum militibus eum adsignari iussit, fidearent.* Coloniam tamen eo deductam esse comprobant tituli infra n. 6555 et Tarragonensis vol. II n. 4121; neque obstat plumbum insimi aevi id cuius mentionem fecimus ad n. 6555. Magistratus nominantur soli *duoviri quinquennales* (n. 6586) et *duoviri nude* (n. 6555. 6576 cf. 6580); reperitur praeterea *curator lusus iuvenum* (n. 6555) et *biselli* mentio fit (n. 6586). Ne de tribu quidem adhuc constat (cf. n. 6555. 6576).

Veliternos titulos primus protulit IVCVNDVS numero tres, quorum unus in tertia demum recensione accessit. Deinde METELLVS cod. Vat. 6038 f. 121 affert Velitris descriptos septem festinante quidem calamo minusculis, sed nihilo minus diligentissime exceptos. LIGORIO quoque apparebatur duorum certe (n. 6594. 6609) copiam fuisse ex ipsis lapidibus exceptorum; praeterea non paucos finxit. Alios Velitris exceptit SIRMONDVS. Veliterni ipsi monumenta sua non curarunt ante saec. XVII medium; nam Ascanius LANDI, cuius compendium de rebus Veliternis scriptum saec. XVI exeunte (cf. ad n. 6565) adhibuerunt Borgia aliique, et aequalis eius Dominicus COLONNESI (v. ad n. 6565), qui item scripta quaedam reliquit, vix ad inscriptiones animum attenderunt. Illo autem tempore frater Bonaventura THEVLI (*teatro istorico di Velletri*. Velletri 1644. 4) titulos Velitris eo tempore prostantes descriptis non sine aliqua diligentia, ut certe versuum ordinem observet, licet non desint male corrupta et temere admissa. Eos repetiverunt GVDIVS, qui librum excerpit, et Veliterni auctores posteriores. Alexander BORGIA episcopus Nuceriae in libro quem scripsit *istoria della chiesa e città di Velletri* (Nocera 1723. 4. pp. 581) de suo nihil addidit; addidit pauca Ios. Rochus VVLPIVS in veteris Latii tomo quarto (Patavii 1727).

Ad Vulpium usque quae ex Velitris innotuerunt, ibidem eruderata esse omnia veri simile est. Iam vero splendidiores domus Veliternae antiqua supellectile exornari coepitae sunt in urbe Roma magis comparata quam domi effossa, nec facile iam in Veliternis nobis cavemus ba alienis.

**6553** l'anno passato vicino al Colle Ottone nella proprietà di Fra Girolamo Toruzzi Cavalier di Malta, vicino all' antica strada Romana, e dalla città un miglio e poco più distante, fu ritrovata un' urna di porfido rosso finissimo, alta poco meno di due palmi, d'un palmo quasi di larghezza, di forma colonnare; ha un cordoncino negli estremi con il coperchio e suo pometto, ch'incastra a pennello. Dentro vi erano carboni, ceneri et ossa; fuora del vaso stavano due ampolle di vetro piene di sangue corrotto e quasi impetrato. Furono ancora ritrovati dentro dell'urna due anelli d'oro, uno ben grosso con una corniola, nella quale sta intagliato Apolline in piedi appoggiato ad una colonna con la cetra in mano, l'altro più piccolo col rilievo della testa del fanciullo. Questo vaso stava sopra una pietra nella quale si leggevano intagliate queste due parole:

APOLLINI · SACRVM

Haec Theuli 1644 p. 108 (inde Borgia p. 44; Vulpi Lat. 4, 44; Cardinali iscr. Vel. p. 4 n. 3). Quam exigua fidem habeat relatio, quivis intellegit.

**6555** basis rotunda. Velitris in aedibus Cap. Sixti Gregnae pro fulcro mensae lapideae THEVLI. Adhuc in eadem domo hodie Boneventi-Caprara.

M · O F A S I V S  
F I R M V S · M A R V S  
C O R N E L I V S · M A R I · F  
C L V · C O S S I N V S  
5 P R A E F E C T V S · F A B R V M  
T R I B V N V S · M I L I T V M  
L E G · X I I I · G E M I N V I C T R I C  
C V R A T O R · L V S V S · I V V E N  
I I V I R · P A T R O N V S · C O L O N  
10 F O R T V N I S · A N T I A T I B V S  
D · D

Recognoverunt Helbig, Zangemeister, Stevenson. Theuli p. 103 (inde Gud. 49, 9); Borgia p. 42; Vulpius Lat. 4, 72 (inde Mur. 614, 3); E. Q. Visconti cod. Paris. 7 f. 63. 64, op. var. 2 p. 44 ex litteris Macioti scriptis d. 30 Nov. 1796; *Antologia Romana* 23 (1797) p. 227; Cardinali p. 43 n. 8 qui dedit aere expressam; Baudo 1, 460. Orelli 1740.

Fortunae Antiatinae memorantur a Suetonio Gai. 57 aliisque. Cum curatore lusus iuvenum Veliternorum recte componemus tesseras plumbeas Velitris repertas inscriptas alteram *feliciter* *municipi/bus* *Veliter(nis)* et *[Iu]vena/lia* *Veliter(na)* *feliciter*) (Visconti op. var. 2 p. 49 tab. 4, 1; Eckhel 8, 319), alteram *Gerano cura/tori* *feli/citer* et *sodali/bus* *Veliter(nis)* *feli/citer*) (Visconti l. c. tab. 4, 2; Cardinali iscr. 'Vel. p. 20).

Musea eius generis hoc loco commemoranda sunt tria Antonellianum Borgianum Cardinalianum. Et apud comites Antonellios quidem qui fuerunt tituli alii leguntur in schedis MVRATORII (ms. fasc. 20) missi ei a comite Ioh. Carolo Antonello pro S. Sede gubernatore principatus Masserani, alii posteriore tempore in eodem suburbanum descripti sunt ab AMADVTIO (cum in schedis Marinianis cod. Vat. 9127 f. 231 tum in ancedotorum vol. 2 a. 1773 et vol. 4 a. 1783 editis) et a Cardinalio. Certae originis Veliternae insunt in his duae n. 6609. 6620, plures urbanae (v. n. 947\*); indicio originis destitutas paganas inter Veliternas reliqui dubia origine notata, christianas expuli (v. n. 947\*); hae enim potissimum ex urbe Velitras inveniuntur adiectae esse.

Longe amplius museum qui sibi comparavit Stephanus BORGIA octavo fere nonoque decennio saeculi proximi, collocavit quidem in eo aliquot titulos Velitris effossos, sed plurimos in urbe Roma comparavit; quapropter inter urbanos posui quotquot tituli inde prolati sunt originis nota carentes. Eorum quoque, qui perhibentur reperti esse in agro Veliterno, non ita pauci propter testimonia non dubia originis urbanae eici debuerunt, nec multum in iis qui remanserunt tribuendum est ad severationibus originis Veliternae maxime Cardinalii hominis nec docti neque religiosi. Indicem Borgianorum eorum certe, quibus Cardinalius in Veliterna sylloga locum dedit, dedi n. 948\*. Plerique tituli Borgiani hodie adservantur Neapoli in museo publico; alii aut in Vaticanum museum pervenerunt aut desiderantur.

Denique Clemens CARDINALIS quae domi sue Velitris exposuit marmora, omnia fere ex urbe attulit (v. n. 949\*); quapropter ea quoque, quorum de origine parum constaret, ex Veliternis eieci.

Idem CARDINALIS non solum titulos quosdam cum Borgianos tum Veliternos alios publici iuris fecit in sylloge quae inscribitur *trecento iscrizioni illustrate* (in sylloge Bononiensi *opuscoli letterarii* Bolognae 1819 seq.; seorsum prodit Bolognae 1823. 4.), sed composuit omnes in opere *iscrizioni antiche Veliterne* (Romae 1823. 4. pp. 251). Sylloge neque doce facta est nec diligenter. — Libro quem nuper canonicus Thomas BAVCO de Velitris scripsit (*storia della città di Veletri*. Veletri 1851. Voll. 1. 2. 8<sup>0</sup>), nos parum profecimus. — Ipse postquam ante hos XXX annos Velitras adii, nuper vices meas ibi fecerunt diligenter labore Dessau et Stevenson.

**6554** Velitris rep. nella contrada li Gionci una cum capitibus duobus Bacchi et Sileni, est apud Eleutherum Toruzzi THEVLI.

G E M I N V S . . .  
P R A E T O R Q . III  
. S V C C E . . .  
5 . . . A N T O N I . . .  
. . . . .  
A E D E S · F O R T V N A E

Servavit Theuli p. 109. Inde Gud. 50, 7; Borgia p. 40; Vulpius Lat. 4, 48; Cardinali iscr. Vel. p. 23 n. 9.

Huic quoque titulo non sine causa diffidimus.